

## Werk

**Titel:** Antibodini luridici Prodrumus

**Autor:** Klengel, Christian; Coch, Dietericus

**Verlag:** Literis Röhnerianis

**Ort:** Wittebergae

**Jahr:** 1658

**Kollektion:** VD17-Mainstream

**Gattung:** Dissertation:jur.

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN757418236

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN757418236>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=757418236>

**LOG Id:** LOG\_0006

**LOG Titel:** Caput Quintum.

**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

tam arripiens, quam Bodinus præbet: *Sapissime* (ait) *Principes ingeniosos homines præmiorum magnitudine ac immunitatum illecebris ad se pertrahunt.* Dices, liberum Populi statum feracem esse ingeniorum, non principatum. Tacitus *Lib. I. historiarum: Dum res Populi Rom. memorabantur pari eloquentiâ ac libertate.* Postquam bellatum apud Actium, atq; omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere. Simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitiâ Reip. ut aliena, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes. Verba illa Taciti licet ex adyto oraculorum deprompta videantur, haud tamen ingeniis in quacunq; facultate exilium minantur regna. Primò enim (verbis utor Cyriaci Lentuli in August.) *diverse sunt bonorum Regum ac verè Patrum Patrie, qui literas atq; artes honestas plerumq; evocant, semite, nec cum violenti Principatus moribus ob quandam formæ externæ similitudinem confundende.* Deinde distinguo inter ingeniorum & artium diversos fines, nec omnes eadem falce demeto. Præterea immunitatum illecebris dicuntur alligere Principes Viros ingenio illustri. Verum immunitas illis concessa oneri non erit cæteris civibus *arg. L. IV. C. de annon. & tribut. L. XII. C. de omni agro desert. Perezius prælection. in Cod. de annon. & tribut. n. XXXII.* distinguendum esse putat inter Principem supremum & inferiorem, ut si ille onus imponat, & ab eo aliquem eximat, non teneatur quicquam de suo emolumento detrabere, sed adhuc integrum ab aliis recipiat. At inferior ita immunitatem concedere potest, ut de summa sibi debita à subditis tantum detrabatur, quantum est portio privilegiarii. Non autem potest ita concedere, ut alios aggraveret.

CAPUT QUINTUM.

- |  |   |
|--|---|
| <p>I. Domicilium an decennio contrahatur?</p> <p>II. Peregrinus nec hereditatis, nec legati capax est.</p> <p>III. Deditus hostibus, nec receptus, an civis maneat?</p> <p>IV. Antacenti obese debeat silentium?</p> | <p>V. Germanus est, qui Patre Germano natus, licet extra Germaniam.</p> <p>VI. Principum iustis tenentur etiam peregrini.</p> <p>VII. A sacerdotibus, &amp; magistratibus potissimum submoventur.</p> |
|--|---|



**IX** Hodie Pontificis arrogantia circa res & personas ecclesiasticas haud morantur Germani.

**IX.** Peregrini an pra civibus muneribus sint obnoxii?

**X.** An cedere bonis queant?

**XI.** De represaliis.

**XII.** Peregrinus ab alio invito Principe suo receptus lega-

tionis jure gaudet inviolate.

**XIII.** Non item ille, qui ad hostes nostros missus est, aut ab hostibus venit, aut aliqui hostilia molitur.

**XIV.** Prudens Aulicus dissentiente Principe suo matrimonium haud affectat.

**XV.** Societas leonina.

**XVI.** Conclusio Prodrumi.

**I.** **P**rolixus nimium forem, si omnia ista, quae porro cap. VI. de civibus Bodinus effuse tractat, comparatione cum peregrinis instituta, uno cursu emetiri satagerem. Hinc ex uno capite duo faciam, qui duo capita antea contraxi, ne multitudine offenderem. Primo autem obtutu tempus explorandum erit, quo Bodinus domicilium inter Germanos formari ac firmari autumat: *Spatium decem annorum ad civitatem adipiscendam peregrinis omnibus aequè proposuerunt Germani. Id verò Romanorum legibus consentaneum est. Hoc ipsum probari sivevit autoritate L.II.C. de incolis. Ex lapsu nempe decennii animus praesumitur, & cum facto habitationis conjungitur, D. Frantz. Comm. in D. de judic. n. XXXII. Sed nec in posteris esse velim Wurmserum, exactè decennium istud perferutantem exerc. IV. J.P. tb. X. quod Germani non observant, etsi Bodinus ita existimet. Mover me Gailius rerum Germanicarum peritissimus: In Civitatibus Germania passim incolatus ex consuetudine vel statuto post annum acquiritur, & non patiuntur advenam diutius ibi commorari, si post decursum anni jura civium redimere non lit. Quod summam habet aequitatem propter communia onera civium, Lib. II. obs. XXXV. Alii arbitrio Judicis hac in re favent, Arnold. de Reyger disp. I. proces. judicar. propos. LXXIX.*

**II.** Me quidem ut ad decennium istud redeam Bodinus stimulat. *Neg, satis est (ait) ad jura Civitatis consequenda tempus illud, quod leges incolis desinierunt, nisi sint exules, & sponte aliena civitate donari velint, (quam pleriq, oblatam ultro recusant) & asseiscantur. Sed JCI satis esse desiniunt ad legata vel hereditates ca-*

*pium-*



plendas tempus præscriptum in aliena civitate exegisse; ne scilicet testamenta rumpantur, aut legata peregrinis ( quos divina lex non minore charitate fovere, quàm viduas ac pupillos jubet) fiant caduca. Perperse asferitur, nec activâ, nec passivâ testamenti factione ( ut loquuntur Jcti) gaudere peregrinos, *Hahn. obs. ad D. de hered. instituend. num. IV.* nec legata aut fideicommissa cernere, *Id. ad tit. de legat. II. Gotthofred. ad L. I. C. de hered. instit. lit. N.* Decennio verò nudo civibus æquari in hæreditatibus & legatis capiendis peregrinos enunciare subdubito. Tempus quippe ex sua natura vim nullam effectricem habet, *Grot. II. de J. P. & B. c. IV. n. I.* nisi alia concurrant: Sed nec rumpi scitè dicitur testamentum, si ab hærede destituatur. Irritum enim fieri comrimur ex *L. I. D. de injust. rupt. irrit. fact. testam. Dn. Hahn. Obs. ad D. d. tit. n. IV.* Alioqui peregrinos amore dignos æstimamus, ut & nobis gratis esse liceat peregrinis alibi. Instimulat Hahnus meus *Obs. D. ad munic. in fin.* Quid quod auth. omnes peregrini. C. communia de successione. liberam testandi facultatem imperiatur advenis atq; peregrinis, quam an rectè vi omni inter Germanos privet Bodinus *n. LXII.* meum non faciam. Conferas Rittershus *part. VII. Jur. Justin. c. III. n. XI.* Ultimum occasione legatorum, quæ peregrino denegantur, de Judæo ( quem hodie recipiunt, qui regalia habent, *D. Reinking. de R. S. & E. Lib. II. c. II. c. III. n. XV. XVI.*) quærere lubet: An legatum è testamento Christiani legibus haud renitentibus capiat? Affirmo cum Finckelthus *obs. LXXXIV.*

III. Ut ad alia pergam, excutienda mihi illa quæstio, an cives Romani esse desinant, qui dediti hostibus, neq; tamen recepti ab iis? Controversiam hanc nondum planè desiniri potuisse Bodinus censet propter Bruti ac Scævola sententias inter se disidentes, quarum meminit *L. IV. D. de captiv.* Enimvero Hostilium Mancinum deditum, nec acceptum, seposito summo jure Civem pronunciatum fuisse arguit *L. fin. D. de legation.* At ego casus utriusq; legis acri judicio perpendens, diversitatem conspicio. Ibi quidem deditus hostibus revertitur postea, nec à Romanis recipitur, unde nec civitatem adipiscitur: hic deditus civis esse desinit, etsi non fuerit receptus ab hostibus. Etenim deditum semel populus è civitate expulisse videtur, summum



jus si species. Leniorem tamen sententiam secutus est Senatus  
in Hostilio Mancino, æquitatem juri stricto præferens. Sed op-  
pones ea, quæ Aristoteles in Libris Ethicis in alteram partem  
disputat. Aut enim æquitas discedit à jure, & erit injusta. Quic-  
quid nempe discrepat à jure injustum est, cum jus à justitia de-  
scendat. Igitur non dabitur æquitati locus in Rep. Aut æquum  
& summum jus non contraveniunt, & evanida erit differentia  
inter jus ac æquitatem, quam Constantinus inculcat in *L. 1. C. de*  
*LL.* Imo sunt, qui nil quicquam æquitaris nisi nudum agnoscunt  
nomen, dum hac utuntur clausulâ: Peto mihi jus & æquitatem  
(alii justitiæ vocabulum substituunt) administrari, cujus effica-  
ciam extenuat merito Excellent. D. Svevus *Disp. IV. Treutl. th. fin.*  
*sub explicat. adjectan. III.* Cæterum difficultas ista facile superari  
potest, ductu ejusdem Aristotelis, cujus mentem Oldendorp. *de*  
*jur. & æquitat. tit. V.* exponit: *Omnia suo modo intelligenda sunt,*  
*nec pugnant inter se ista duo, æquum est dissimile juri vel justo, &*  
*æquum est jus vel justum. Nam æquitas non discrepat à justo in ge-*  
*nerere, sed duntaxat in aliqua circumstantia, h. e. æquitas non mu-*  
*tat præcepta juris generalia, sed ad circumstantias speciales respicit,*  
*Eadem igitur sunt in genere jus s. justum, & æquum, sed in speciem*  
*æquum melius est jure. Utrumq; quidem laudandum, æquitas tamen*  
*summo juri præferenda est in administranda Republica. Causa dissi-*  
*mitudinis est, quia leges sunt universales, neq; tamen potest de sin-*  
*gulis rectè discerni in universali. Aliàs malè antinomias concilian-*  
*dis illam inter jus strictum & æquitatem adhiberi distinctionem*  
*putat. Joh. Jacob. Wüsenb. disp. de æquitat. §. XIX. disp. de access,*  
*artif. §. XV.* Deniq; lectionem Florentini Codicis in margine à  
Bodino taxari video, cui ne nimium tribuas & ego autor fue-  
rim. Goëddæus: *A Florentina lectione tum demum nefas est rece-*  
*dere, si ex vulgari lectione Florentina contraria absurdum quid-*  
*dam, vel durum, vel iniquum, aut irrationabile prodiret. Ubi nulla*  
*absurditas, nulla lectionum contrarietas & pugna, quæ discordiam*  
*sententiarum gigneret, nulla iniquitas, adeo studiosè inherere non*  
*est opus, quin potius à Florentina lectione quandoq; recedere æquius*  
*melius sit, ad rubric. D. de P. S. n. XXXI. Confer D. Adam. Riccium*  
*de quantitat. & qualitat. libror. Jur. aphorism. XLI.*  
*numm. IV.* Sed & hoc indagari meretur, an tacens consentire vi-  
deatur?



deatur? Bodinus: *Tacita consensio obesse debet nemini, si aliter consentientis voluntatem interpretari possimus, nisi aperte quid velit verbis aut factis expresferit.* Vix sufficiunt hæc verba decisioni. Inde distingvere convenit, an agatur de commodo tacentis, num obligatio intendatur? Illic quidem consentire tacentis censetur, *cap. XLIII. de R. J. in VI.* hic præterea de facto vel ipsius tacentis, vel alterius solliciti sumus exquisitè, *Hahn. obs. ad D. de pact. num. VII.*

V. Fortè nec placent ista Bodini: *Intelligitur quid iudicandum sit de questione, quam Curia Burdegalensis iudicium omnium eorum coacto definire non potuit, an scilicet Hispanus homo in Hispania natus & educatus, Galli tamen filius, in Galliam reversus à Principe rescriptum impetrare jure potuisset, ut jura Civium consequeretur? Mihi persuasum est, planè peregrinum fuisse.* Non ausim meum submittere votum Bodino, cohibente *L. VI. §. I. D. ad munic. L. III. C. de munic. & origin.* Igitur nihil vetat, quo ming Germanum eum dicamus, qui patre, vel avo Germano, licet extra Germaniam, natus est, *Wurmser. exerc. II. J. P. th. II.*

VI. Sed nec discrimen civis & peregrini expers est refutationis. *Verum ac proprium civis à peregrino discrimen est, quod alter imperio ac potestate civili obligatur, alter jussa Principis alieni respuere potest.* Sanè ad gubernationem Populi moraliter necessarium est, ut qui ei vel ad tempus se admiscent, quod fit intrando territorium, conformes se reddant illius populi institutis, ac jussis Principis irreprehensibiles, *Grot. II. de J. P. & B. cap. II. n. V.* Ita incolam legibus istius loci subjicit *Gailius II. obs. XXXV. ubi domicilium fixit.*

VII. Id à vero non abludit, à sacerdotiis submovendos esse peregrinos. Inde eos instituere honestati contrarium, & à sanctorum Patrum scitis alienum esse dicitur, *cap. IV. de cleric. peregrin.* Sed & Concilium Tridentinum *Seß. XXIII. c. XVI. de reform.* universim prohibuit, ne quis episcopus peregrinum aut non suum ordinaret, quod quisq; episcopus magis sciat suorum qualitates, & in eos inquirere valeat, sive sint Clerici, sive Laici, *Henric. Zes. ad tit. de cleric. peregrin. n. I.* Quin etiam jus Civile prærogativâ beat indigenas, *L. XI. C. de episcop. & cleric.* quam in terris Saxonice enitere *Finckelthufius memorat: Cum non tan-*  
*tum*



nam in Lipsiensi, sed & Wittebergensi Academia subditorum hujus  
Electoꝝ atq; indigenarum filii, stipendiarii, und LandesKinder  
in linguis, bonis artibus, & Religione Lutherana magnis sumptibus  
ex provisione Electoꝝ educuntur atq; informantur, ideo à D. Ele-  
ctore Augusto Electoꝝ hujus patri sedulo admonentur, ut ex  
eorum numero quosdam seligant, & præ extraneis ad munus eccle-  
siasticum eosdem evehere atq; vocare non intermittant, de Jur. Pa-  
tronat. cap. VI. n. LXIX. Neq; tantum jus hoc præferendi indi-  
genas clericis est indultum, verum in mediis etiam Aulis, Aca-  
demiis, Curiiis passim viget, conspirantibus sæviter JCris & Po-  
liticis, Finckelthus. d. l. num. LXXI. LXXII. Zevcotius: Tyranni  
peregrinorum maximè operâ potestatem suam tuentur. Ideoq; in-  
gratum passim est summas dignitates exteris committere, quia ci-  
ves negligi se credunt, & iis Remp. committi, qui tam arctè illi non  
obligantur. Eapropter etiam hodie exteros à Magistratibus ar-  
cent multa nationes, quarum ego consuetudinem laudo, si & viris  
idoneis satis instructa, & non nisi tales, ac status presentis Studiosos  
ad clavum patrie vocent, nec pro exteris nimium pertinaciter reji-  
ciant, qui alibi nati Provincia, in quam jam agunt, & prodesse vo-  
lunt, & possunt, Obs. Polit. ad Sveton. Cæsar. c. LXXVI.

IX. Ad sacerdotia quod attinet, perhibentur Germani  
pactis conventis à Pontificibus expressisse, ut peregrini à sacerdotiis  
arcerentur. Impresentiarum quidem nec vacat mihi, nec libet  
nunciam vetustatis consulere, & veritatem pacti istius conven-  
ti, cujus Bodinus meminit, indagare; diffiteri tamen haud au-  
sim, Germanos cum religiosi essent, non religentes, inconsultâ  
suâ facilitate, quam Marsilius Patavinus aliquoties redarguit,  
Pontificum factum adauxisse, cui freni adhibendi fuissent sub-  
impudenti. Tandem Maximiliani, Caroli V. & cæterorum ata-  
te Papales isti conatus circa res & personas ecclesiasticas evi-  
luerunt, suspensâ Jurisdictione Pontificiâ, imò verò profligatâ pe-  
nitus. Hæc felicitas Germanorum Protestantibus unicè, vel cer-  
tè potissimum ferenda est accepta, quæ facit, ut nec morari ho-  
die nec mirari subeat pacta conventa Antichristi. Sed enim cre-  
brius nil fuit, quam ut pacta conventa Pontificum Romanorum frau-  
de violarentur. Perfidiam notat Bodinus, quam unâ cum inju-  
sticia inter fraudes magnas collocat Lipsius IV. Polit. c. XIV.

Utram.



Utramq; verò damnat acriter, leuem fraudem, in quo genere ipsi est diffidentia, & dissimulatio, svadens, mediam, in qua ponit conciliationem, & deceptionem, tolerans æquanimiter. Scilicet ævum & homines ignorare mihi videntur, qui fas non putant, rationem bono consilio à Deo datam in fraudem, malitiamq; converti.

IX. Sed danda opera est, ut celeriter me recipiam, ne discessus à peregrinis aliquid fugæ simile habeat, quos muneribus ubiqve fere urgeri præ civibus Bodinus asserit. Quid Athenis, aut alibi factum sit, vel etiamnum fiat, impræsentiarum non dicam. Germanis sanè inhumanum videbitur, peregrinos magis quam cives muneribus subicere. Sed & trita illis est distinctio munerum, quam exhibet *L. I. D. de muner.* ne promiscuè peregrinos onerent, quod dextre observavit Gaius *Lib. II. obs. LII.* prolixitate suâ brevitatem mihi imponens.

X. Porro ut peregrinos à civibus separaret Bodinus, his quidem miserabile cessionis bonorum auxilium non invidet, illis verò regibus id profitetur negari, præter licentiam testandi, de qua thesi II. egisse sufficiat. Enimvero nec ex indice Legum Romanarum Hotomanni, nec è *Lib. IIX. antiqv. Roman.* Rosini cap. XIX. illud compertum est mihi, excludi peregrinos ære alieno obrutos à consortio humanitatis. Lege quippe Pœtelii cautum fuit, ut bona debitoris, non corpus obnoxium esset, & ne quis in posterum neceretur. Lex Julia sanxit, ut qui sine dolo suo malo æri alieno satisfacere non posset, bonis suis cedendo liberaretur. Hinc cum nullibi fiat mentio civium solorum, ad omnes omnino debitores, qui bonis suis lapsi sunt, beneficium cessionis extendit Perezus *prælect. in Cod. qui bon. ced. poss. n. III.* parum sollicitus de juramento, quo aliquis ad solutionem se fortean obstrinxit. Denegatur tamen justè iis, qui animo cedendi contraxerunt, aut bona sua dilapidarunt. *His annumerandi & illi* (verbis utor Perezii *dict. loc. n. IIX.*) *qui foro cedunt, ac multorum pecuniis interceptis contra fidem publicam, quam dederunt, solum vertentes aliò confugiunt, quos tanquam fures comprehendendi, & carcere detineri, donec satisfecerint creditoribus suis, jubet Caroli V. Imp. constitutio, lata in Comitibus Augustanis art. XXII.* Plane istum, qui debitum inficiatus est, quod postea constitetur, inca-



pacem haud fieri cessionis, à datione in solutum discrepantis, cum Perezio sentio n. IX. Insuper an peregrini litigaturi caveant judicatum solvi, molestum magis foret enodare, quàm difficile. Mihi quidem hactenus de differentia civium & peregrinorum ista in re nondum liquet, nec ab Arnolde de Reyger, qui curam suscepit processus judicarii, illam annotari video *disp. IV. th. XXXIX. & seqq.* ut ut & antiquum, & novum jus trutinetur.

XI. Ad represalias quod attinet, quarum Bodinus meminit, consuli velim Grot. *Lib. III. de J. P. & B. c. II.* Rittersh. *part. III. Jur. Justin. c. VII.* Gail. *tract. de pignoration.* Wisenbach. *de represal.* Id asserere vix ausim, quod clarigatio inter cives omnino cesset, promptum adversus peregrinos solos repellendæ injustitiæ subsidium. Non diffiteor quidem inter subditos ejusdem Principis haud exerceri represalias, at hodie postquam ex constitutione Imp. Antonini cives Romani effecti sunt, qui orbem Romanum colunt, *L. XVII. D. de stat. homin.* nec tamen unius Principis manu gubernantur, quidni inter cives communis Patriæ huic executionis violentæ speciei locus sit, modò legitimus juris & executionis ordo præcesferit, quem Pacificatio Osnabr. *art. XIX. §. tam in universal.* desiderat magnopere?

XII. Neq; assentiri velim Bodino, ne assentari videatur jus sacrosanctum Legatorum violanti, odiumq; concilianti hisce; *Quod si peregrinus invito vel non assentiente Principe alterius imperio se ipsum subjecerit, ab eoq; adscitus sit in civem, nihilominus Principi suo æterna in illum auctoritas est, ac jus prehensionis, ut in servum fugitivum, etiamsi ad se legatus venerit à novo Principe missus.* Ne quid disimulem, imprudenter quidem agitur utrinq; si odiosi mittantur, & mittenti pareant; nihilominus in publica persona ulcisci privatam fere piaculum mihi est. Albericus Gentilis *Lib. II. de legation. c. XI.* *Memini se debemus, potiore personæ publicæ rationem esse, quia hæc est dignior, & dignius quod est, id vapere minus dignum ad se certum notumq; ducitur.* Itaq; private personæ respectus nullus potest obtendi in legato puniendo, quoniam publica supereminet. *Et hæc est, quæ læditur, nec distingvi potest, ne lædatur.*

XIII. Majori applausu dignum, quod de Carolo V. memorat Bodinus, cum jura gentium minimè violasse in Rinconio, ac



Fregosio, Legatis Francisci I Galliarum Regis, ad Turcam con-  
tendentibus, utat dissentire videatur Francisc. le Vayer *de legat.  
legatorumq; autorit. cap. IV.* Sed enim opus haud fuit (ut Bodino  
videtur) speciem transfugarum objicere, aut factum improbare.  
Ex tripode dictum: LEGATI SIQVIDEM AD HOSTES NO-  
STROS EUNT, AUT AB HOSTIBUS VENIUNT, AUT A-  
LLOQVI HOSTILIA MOLIUNTUR, INTERFICI ETIAM  
POTERUNT. Quod Athenienses fecerunt Legatis inter Persas  
& Spartianos, Illyrii Legatis inter Esstios & Romanos, *Grot. II. de  
J. P. & B. c. XIX. n. V.* perperam violationem Juris Gentium ob-  
jiciente Octaviano Magio *Lib. I. de Legato cap. I.* Multò minus  
vinciri eos, *Grot. dict. loc.* aut detineri aliter subabsurdum est,  
agituros Remp. nostram. Apparet inde, quo jure, quæve con-  
scientiâ Henricus Brunsvicensis per Joh. Staplerum, Heidelber-  
gensem, cui cerebrum omne in lingua erat, Landgravium Has-  
sæ violationis Pacis Publicæ insimulare tentaverit ob interce-  
ptionem Secretarii sui, cui Stephano Schmidio nomen erat.  
Etenim repertæ apud eum literæ conatum bellicorum & calu-  
mniarum in Protestantibus indices. Adi & audi Michael. Piccart.  
*disp. XLVI. Philos. Altdorpb. qv. IV.* nec pœnitebit te laboris.

XIV. Verum ne ubiq; propemodum stomachari, & cum Bo-  
dino meo dissentire videar, haud quæquam probo factum Leno-  
xii Comitis, qui connubium vetante Angliæ Reginâ Elisabethâ  
contraxerat. Aulicus quippe prudens matrimonia à Principe ob-  
lata modestè acceptat, imo semper Principis consensu contrahit.  
Autoritati quippe suæ velificatur, si noverit Populus eum Prin-  
cipi ita placere, ut ipsius fortunæ curam gerat. Contra metamor-  
phosis illi inevitabilis imminet, qui delegerit conjugem Prin-  
cipi exosam. *Confer. Zevocot. observ. Polit. ad Sveton. Cesar. c. I. Bodin.  
V. de Rep. IV.* Præterea id recipio, quod discrimen sit Patricios in-  
ter, & nobiles, imprimis illos, qui peculiari civitatis alicujus  
consuetudine nobiles censentur, quibus etiam nobilitatis privi-  
legia Wurmserus adimit *exerc. IV. J. P. tb. XIV.* Alioquin ineptus  
non est Jos. Nold. nobilibus accensens *die Salzjunker*/quorum  
equestris ludus cupæ vehendæ jam evluit, & Patricios, *die Ge-  
schlechter*, eos nimirum, qui Imperatori suam acceptam ferunt  
eminentiam.



**XV.** Novissimè totus diversus sum à Bodino leoninæ societatis patrono: *Fieri potest, & jure quidem, ut civium partim ab omnibus muneribus & oneribus vacationem habeant, partim omnia onera subeant. Ita quoque societas coiri potest, ut sociorum alter commoda ferat, nec ulla detrimenta, aut incommoda collapse societatis patiatur.* Quid hoc iniquius aut indignius dici potest? Iniquissimum genus societatis ex qua quis damnum, non etiã lucrum sperat, *L. XXIX. §. II. D. pro socio.* Hugo Grotius: *Ut sociorum aliquis lucri sit particeps, immunis damni, est quidem præter naturam societatis, potest tamen ita conveniri sine injuria. Fiet enim mixtus contractus ex societate, & ex contractu averse periculi, in quo ita servabitur æqualitas, si tanto plus lucri ferat, quàm alioqui laturus fuisset, qui in se damnum recepit. Ut autem quis damnum sentiat sine lucro, ideo admittendum non est, quia ita naturalis est societati utilitatum communiõ, ut sine ea nequeat societas consistere, Lib. II. de J. P. & B. c. XII. n. XXIV.* Enimvero Bodinus probè inspectus damnum à lucro avellit, illo alterum sociorum iniquè prægrans, hoc inconsultò beans alterum.

**XVI.** Atq; hic finire me posse arbitror, qui **PRODROMUM** emittere amavi **ANTIBODINI**, non ipsum **ANTIBODINUM**, post hac divulgandum, sicubi specimen præfens, quod exhibeo, placuerit. Non omnia dixi, quæ dici poterant, sed nec dicere volui, aut debui, nisi præcipua. Si error aut somnus me alibi habet, quid mirum in homine? *Homerus odys. XIX:*

*Ἄλλ' ἔγωγε πως εἶν' αὐτῶν ἐμμεναι αἰεὶ  
Ἀνδρώπας.*

Qui speciosiora superstruet, adeo me invidentem non habebit, ultro & gratiam referet. Interim cum inter cætera mortalitatis incommoda & hoc sit; caligo mentium, nec tantum necessitas grandi, sed errorum amor; abrumpam isto prudentis fortunæ & adversæ & prosperæ æstimatoris effato:

**RARO MAGNI ERRORES NISI EX MAGNIS  
INGENIIS PRODIERE.**





© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2012/2013

